

www.e-rara.ch

**Ioannis Thomae Freigii, Quaestiones heōtinai kai deilinai: seu Logicae
& Ethicae**

Freig, Johannes Thomas

Basileae, [1574?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-138247>

Liber Secundus Logicae

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

LIBER SECVNDVS,

I V D I C I V M.

Quæ' nam est altera pars Logicæ?



I V D I C I V M seu dispositio.

Quid est Iudicium?

Est pars Logicæ de disponendis argumētis ad benè iudicandum.

Vbi' nam eius doctrina ab Aristotele comprehensa est?

In lib. de Interpretatione & Analyticis.

Quotuplex est Iudicium?

Duplex: Axiomaticum in Enunciatis & Dianoëticum in syllogismo & methodo.

Quid est Axiomaticum Iudicium?

Quod per se suūq; fide probatur: quod totum veritatis iudicium ad Enunciatum attinet, ut solum enunciatum verum sit aut falsum. Syllogismo enim consequentia uel inconsequentia: methodo ordo uel confusio dicitur.

E N V N C I A T V M.

Quid est Enunciatum?

Est dispositio qua argumentum de argumento enūciatur. In Organo lib. 1. Prior cap 1. & lib. 1. De interpr. cap. 4. definitur per speciales affectiones affirmationis & negationis, veritatis & falsitatis. Sed generalior definitio melior est per verbum enunciandi.

Quibus

Quibus nominibus appellatur in Organo?

Vocatur πρότασις propositio, λήμμα, λήψις, sumptum
sumptio: ἀξιωμα, θέσις, ὑπόθεσις, postulatum, positio, suppositio: ἐρμηνεία interpretatio, ἀπόφανσις enunciatio.

Quot sunt confid. in Axiomate?

Tria. 1. Partes. 2. Affectiones. 3. Species.

I. Quot sunt Enunciati partes?

Duae Antecedens & Consequens: In Organo dicuntur terminis ὅροι. Sic lib. 1. Prior. cap. 1. ὅρον λέγω εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις. Terminum dico in quem resolvitur propositio. Vocatur ἑ ab Aristotele subiectum & predicatum, κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' ὃ κατηγορεῖται: alibi ὅρ & ἡγούμενον καὶ ἐπόμενον.

II. Quot sunt Enunciati affectiones?

Duae. Nam primò est Affirmatum aut Negatum. Deinde Verum aut Falsum.

Quid est Affirmatio aut Negatio Enunciati?

Nihil aliud est, quàm partium compositio & divisio. Itaque Aristoteli σύνθεσις καὶ διαιρέσις appellantur 2. cap. 1. de Interpret. Ut cum dicis homo est animal, consequens componitur cum antecedente: Contra autem, homo non est animal: consequens idem diuiditur ab eodem antecedente. Hincque nascitur Contradictio, ἀντίφασις.

Quid est Contradictio?

Est affirmatio & negatio eiusdem consequentis de eodem antecedente. Ἀντίφασις ἐστὶ κατ' ἀφασιν ἢ ἀπόφασιν αἱ ἀντιθέμεναι τοῦ αὐτοῦ κατὰ τὸν αὐτόν. Lib. 1. de Interpret. cap. in fin.

Quid

Quid est Enunciatum Verum aut Falsum?

*Verum est quando consequens est uerum de antecedente:
Falsum contrā.*

Quattuplex est Verum?

Duplex: Contingens & Necessarium; ἐνδεχόμενον καὶ ἀναγκαῖον.

Quid est Contingens?

*Quando consequens de antecedente sic uerum est, ut alia
quando falsum esse possit. Vt*

Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

*Quomodo vocatur iudicium, Con-
tingentium enuncia-
torum?*

*Vocatur Opinio lib. 1. Post. cap. 26. quæ præteritorum &
præsentium certa esse potest: futurorum per naturam non ad-
modum potest.*

*Quid Aristoteles de futuris Con-
tingentibus?*

*Liber de interpretatione cap. de Futuris Contingentibus,
Enunciationem præteritorum & præsentium iam manifestè
ueram aut falsam esse ait: in futuris autem contingentibus ne
quaquam similiter: & syllogismum huc concludit:*

*Si futuri contingentis enuntiatio iam uera esset aut falsa:
esset etiam necessaria.*

Secundum falsum.

Falsum igitur primum.

*Quod ualde spinosum sophisma est & fraus admodum peri-
culosa, Si iam uerum sit, aliquid protinus esse necessarium.
Necessarium enim ex conditione in propositione intelligit,
quomo-*

quomodo quidlibet quod est, quando est, ait necessariū esse. At in assumptione necessariū absolutē capit. Ita homonymia uerbi illa queatur & irretitur auditor rudis. Propositum erat conditionale necessariū, remouetur absolutum. Aliud datum est, aliud repetitum. Fallacia igitur præceptus est & magnæ impietati cōiuncta. Nā si ueritas necessitatis causa statuitur, quid fiet diuina præscientia, cui iam certa & uera sunt omnia, quæ unquam futura sunt? Atque illud quoque captiosè conneclitur, Si iam uerum est, est etiam necessariū. Quicquid enim fore uerum est, Deo iam uerum est, & uerū semper fuit nec ideo tamen necessariū. Ex causis enim necessarij, futurum necessariū est: ex liberis liberum: ex Physicis physicum Denique quales sunt antecedentes cause, talis euentus ueritas.

Quid est Necessarium Enunciatum?

Quando consequens semper uerum est de omni antecedente. Cui contrarium est, Impossibile quod de nullo unquam uerum esse potest.

Quomodo uocatur iudicium Necessarij enunciati?

Vocatur Scientia.

Quot sunt Scientificæ materiæ circumstantiæ?

Tres, κατὰ πάντας, καὶ αὐτό, κατὸ μέρος πρῶτον, id est, enunciatum scientificū debet esse necessariū, homogeneū, reciprocum seu catholicum. Quæ lib. i. Post. cap. 4. primò definiuntur, tum deinceps ad longum explicantur.

Quid est Axioma κατὰ πάντας?

Est quando consequens semper uerū est de omni antecedente.

D Quid

Quid est κατὰ αὐτὸ, homogeneous?

Quando antecedens & consequens sunt inter se essentialia: ut cum forma de formato, adiunctum de proprio subiecto, genus de specie dicitur. Vt homo est rationalis, est capax disciplinæ, est animal. Huic contrarium est heterogeneous.

Quid est Catholicum?

Quando consequens semper verum est de antecedente, non solum omni & per se: sed etiam reciprocè. Vt homo est animal rationale. Numerus est par uel impar.

Vberius ista Aristotelis uerbis persequere:

& primò quid sibi velit Nota κατὰ πάντας?

Docet artes & scientias constare è necessarijs & uniuersalibus regalis & decretis. Generalis autem istius necessitatis ueritas concipitur inductione specialium & sensu obseruatorum exemplorum, ut est in 14. cap. 1. Post. Quomodo autem ab animo concipiatur, ostenditur cap. 18 quòd scilicet animus notitias rerum necessarias & uniuersales, non informatas à natura ipsa capiat, sed colligat facultate: intelligentia sibi naturali & ingenerata: Vt oculus colorum species ex utero matris non attulit, sed facultatem naturalem omnia colorata cernendi. Itaq; generalium & necessariò uniuersalium notitiarum non ēgis habitus, sed διύκνυς facultas nostris animis naturalis est. Nota itaq; ista κατὰ πάντας est necessariatū rerū & generalium, ut est ca. 6. Non igitur fortuitarum neq; sensilium, ut est cap. 24. Vniuersale autem præstat singulari; quia perpetuum, quia αἰτιώτερον, ἀπλούτερον, ἐπιστημονικότερον, ἀρχαιότερον. 20. cap. Affirmatum præstat negato, quia breuiora meliora: quia γρηγορότερον καὶ καθαρότερον καὶ ἀρχαιότερον. 21. cap. Αὐτὸν δὲ ostensiuum præstat ducenti ad impossibile & cogenti, 22. cap. Prima figura præstat cæteris

cæteris, tanquam ἐπιτηδευματικῶν. 11. cap. Deniq; captio-
nes & fallaciæ quæ neglecta lege κατὰ τὰς ἀρχὰς accidant, dis-
seruntur 11. & 13. cap Teneamus igitur primam in formandis
artibus legem esse, ut omnia artis theorematata sint omnino ne-
cessarioq; uera & catholica. Ac si quid speciale sit νόμισμα
& consecratum, ex illo fonte catholico deriuatum: id generis
hî theoremati additum κατὰ τὰς ἀρχὰς explebit.

Quid vult sibi Nota κατὰ τὰς ἀρχὰς

Iubet ut omnia quæ sunt in artibus comprehensa, sint syn-
genea: & in hac regula tria ferè cap uersantur. 7. 8. 9. primâ
lib. Post. Vnde lex habetur ad regendos artium fines, & suum
cuiq; tribuendû, ualde necessaria. Exemplû Aristotelis insigne
est: Numeri in Arithmetica tantû docedi sunt, eorumq; gene-
ra, differètia, species, proprietates: in Geometria magnitudi-
nes tantû, earûq; genera, differètia, species, proprietates. Secus
arithmeticum in Geometria ἀρετὴν ἔχειν: Geometricû in
Arithmetica ἀνὰ πρῶτον fuerit. Præcepta artium distinguun-
tur: usus tamè cõiugatur. Et sic Aristoteles tribus illis cap. cû
homogeniam imperat, ne à genere alio in aliud digressio ulla
permittatur: attamen superiorum artium rationes in subalter-
nis & inferioribus concedit. Sic axioma Logicum, (eidem æ-
qualia, inter se sunt æqualia) numeris & figuris explicandis
accomodat: utq; Arithmetica in sonis & figuris & cæteris nu-
meralibus rebus adhibetur: ita Geometria in Opticis, Astro-
nomicis, Mechanicis. Ergo lege ista ἐπιτηδευματικῶν artium se-
gregando, homogenea ab heterogeneis separabimus: dice-
musq; omnibus artibus: Tollite altercationes falsarum opinio-
num, refutationumq; Elenchos: hîc ad usum eruditionis ue-
stræ homogeneum uobis nihil est: His impedimētis detractis,
dimidio breuiores & clariore eritis.

D 2

Quid

Quid vult sibi Nota *καθόλου πρῶτον*

Docet rerum affectiones suis quasque locis petendas, non generalem cum specie, non specialem cum genere: sed τὸ γενικὸν ὁμογενές, τὸ ἰδίον ὁμοειδές *καθόλου* copulandum: denique proprias affectiones proprijs & suis subiectis attribuendas esse. Itaque commissum erit a doctore artis in hac legē, si generale speciali aut speciale generali tribuatur. Prioris sophismatis exempla tria sunt apud Aristotelem lib. 1. Post. ca. 5. Vt si quis doceat lineas rectas non concurrere. Nam parallelismus etiam obliquis lineis conuenit. Item: Acquirurum tres angulos duobus rectis æquales habere: cum æqualitas illa, reliquis triangulis communis sit. Denique numero aut magnitudini ἀναλογία τὸ ἐναλλαξ conuenire: cum illa analogia Logica planè sit. Nā etsi de unaquaque trianguli specie demonstratur qua generalis angulorum affectio, nondum tamen res demonstratur nisi sophistico modo, ait Aristoteles. Quamuis enim Reipsa idem est de qualibet specie ac de uniuerso genere demonstrare: doctrinæ tamen commodum non est idem: quia pluribus demonstrationibus docetur, quod una demonstratione possit doceri. Tautologiam ergo Aristoteles omnium sophisticarum fraudum disciplinis perniciosissimam proficitur.

Secundi sophismatis exemplum est in Aristotele unicū & breue si angulorum ista affectio figuræ tribuatur. Tum enim speciale generali tribueretur. Vtriusque exemplum in Grammatica est. Nam in etymologia species & figura per tota uocum genera iterantur: ibi ergo generale speciali attribuitur. Comparatio est affectio specialis quorundam adiectiuorum: at in generalibus nominum accidentibus numeratur:

ibi ergo speciale generali attribuitur.

III. Quot

III. Quot sunt species Enunciati?

Dux. Est enim Simplex aut Compositum. Lib. 1. de Interpret. cap. 4. ἀπόφανσις ἀπλὴ ἢ σύνθετος.

Quid est Simplex?

Quod uerbi uinculo continetur. Itaq; affirmato uel negativo uerbo affirmatur uel negatur. Vt Ignis urit: ignis est calidus: ignis non est aqua. Atq; hinc prima est inuentarum rerum dispositio.

Quotuplex est Simplex Enunciatum?

Duplex. Generale aut Speciale: ἀπόφανσις ἢ καθόλου καὶ ἢ καθ'ἑνα γὰρ. Lib. 1. de Interpret. cap. 5. καθόλου ἢ ἐν μέρει. Lib. 1. Prior. cap. 1.

Quid est Generale?

Quando consequens commune attribuitur generaliter cōmuni antecedenti. λέγω καθόλου τὸ παντὶ ἢ μὲν παντὶ ὑπάρχει. Lib. 1. Prior cap. 1. Vt Quid.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:

Et subito casu quæ ualuere ruunt.

Lucanus.

Nulla fides regni socijs: omnisq; potestas

Impatiens consortis erit. —

Qualis est hinc Contradictio?

Contradicentium generalium pars non semper altera uera, altera falsa est: sed contingentium utraq; pars falsa, potest esse. ut

Omnis potestas est impatiens consortis:

Nulla potestas est impatiens consortis.

Item non contingentium: Vt Omne animal est rationale.

Nullum animal est rationale.

Quid est Speciale?

Quando consequens non omni antecedenti attribuitur.
Et hinc contradictio semper diuidit uerum à falso. *Ἀνάγκη
ἂν τὴν ἑτέραν ἀληθεῖν ἢ τὴν ψευδῆ.* Libro primo de Interp.
cap. 6.

Quotuplex est Speciale?

Duplex. Particulare & Proprium.

Quid est Particulare?

Quando consequens commune antecedenti particulariter attribuitur. *Ἐν μέρει λέγω τὸ τινὶ, ἢ μὴ τινὶ, ἢ μὴ παντί
ὑπάρχειν.* Libro 1. Prior. cap. 1. Huic axiomati generaliter
contradicitur *Vi*,

Aliquid ignoscendum est.

Nihil ignoscendum est. *Aut.*

Aliqua ignoscenda non sunt

Omnia ignoscenda sunt.

Quidius.

Non semper uiole, nec semper lilia florent:

Et riget amissa spina relicta rosa.

Quid est Proprium?

Quando consequens antecedenti proprio attribuitur. *Vi*
Cicero est Orator. Cicero non est Orator. Cuius negatio &
contradictio est.

Sunt ne aliæ Contradictiones præter has?

Aristoteles generalem contradictionem uocat Contrariā,
quæ est secundum uniuersalem affirmatiuam & uniuersalem
negatiuam, quas ait non posse simul ueras esse Specialem con-
tradictionem, uocat nomine generis Contradictionem, *ἀντι-
φασιν.* Præter has, duæ in scholas introductæ sunt *καταφα-
τικῆς*

αία Geometrica, ut scilicet diagramma quadrati comple-
tur: nimirum Subcontraria & Subalternæ. Sed utrumq; fru-
stra Nam subcontrariæ simul ueræ esse possunt: τὰς ἀντιμα-
ρτυρίας τὰς ἐναντίας ἐνδέχεται ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ συνάλα-
θεύειν. Vt aliquis homo est albus: Aliquis non est albus. Sub-
alternæ autem sunt ambæ affirmationes aut negationes: &
quidem specialis generali consequens & consentanea. Lib. 1.
de Interpr. cap. 5. & 6.

Quid est Enunciatum Composi- tum?

Quod uinculo coniunctionis continetur, quæ dicitur Ari-
stoteli συνδεσµός. Lib. 1. de Interpr. cap. 4. Itaq; coniu-
ctione affirmata uel negata, affirmatur uel negatur.

Vbi de his Aristoteles?

De his enunciatis in Aristotelis philosophia nihil est. Neq;
enim Aristotelis ætate, Logica de compositis enunciatis & syl-
logismis erat inuenta. Sed Græcorum Peripateticorum, Theo-
phrastii & Eudemi, & Latini Boëtij subtilitas mirabilis huc
erupit, ut enunciationum compositarum, uel (ut Boëtius lo-
quitur) hypotheticarum modi decies millem colligerentur.
Sed his nugis præteritis, necessaria enunciationis compositæ
genera proponemus.

Quot sunt igitur genera Compositi enunciati?

Quatuor. Copulatum, Connexum, Discretum & Disiun-
ctum.

I. Quid est Copulatum?

Cuius coniunctio est Copulatiua. Vt Horat.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Ouidius

Terra saluiferas herbas, eademq; nocentes
Nutrit, & urtica proxima sæpe rosa est.

Idem.

Nox & Amor, Vinumq; nihil moderabile suadenti
Illa pudore uacat: Liber, Amorq; metu.

Quod'nam est Copulati iudi-
cium?

Eius iudicium uerum est, si partes simul omnes uera sunt:
focis falsum.

Quæ'nam sunt huic generis affinia?

Enunciata relata, Qualitatis, Quantitatis, Loci: quorū
nota sunt talis qualis: tantus, quantus: tot quot: ibi ubi. Et re-
lationis copulatae iudicio, comparata pleraq; enunciantur &
iudicantur. Iuuenel.

Rari quippe boni, numero nix sunt totidem, quot
Thebarum porta uel diuitis ostia Nili.

Ouidius.

Crede mihi, benè qui latuit, benè uixit & intra
Fortunam debet, quisq; manere suam.

Idem.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro merito spemq; metumq; suo.

II. Quid est Connexum?

Cuius coniunctio est connexiua, Si: ut Martial.

Frangere si metuis, frangis crystallina decore
Secura nimium sollicitaq; manus.

Morus.

Si tuus ad Solem statuatur nasus, hianti
Ore, benè ostendas denibus hora quota est.

Quot.

**Quotuplex est negatio axiomaticae
connexivae?**

Duplex. Vel enim negatio simpliciter coniunctioni praepo-
nitur: ut, Non si metuis, frangis. Vel aperte tollitur consequen-
tia, ut, Non continuo si metuis, frangis: uel, Non si metuis, se-
quitur illico quod frangas. Atque in hac negatione, hoc solo se-
cundo negandi genere Germani utuntur: neque coniunctioni
negationem praeposunt sed consequentiam negant.

**Quomodo verum iudicatur connexum
axioma?**

Si necessaria coniunctio est, est necessarium: si contingens,
est item contingens. Et ipsa necessitas est necessaria partium
connexionem oritur: quae ipsa potest esse uel in falsis partibus: ut
Si homo est leo, est etiam quadrupes, necessarium connexum
est. Connexum itaque *καταλόγον* quoddam efficit, ut totum ne-
cessarium dicatur, cuius partes falsae, imò impossibiles fue-
rint, nedum verae ut in proposito exemplo. Sed annexae conne-
xionis necessitas hic asignatur & iudicatur, non verum conne-
xarum, sed connexionis ipsius necessitate.

Quae nam sunt connexo affinia?

Relativa Temporis & Consequentiae: ut Marcial.

Cum uoco te dominum, noli tibi Cinna placere,

Sepè etenim seruum sic resaluto meum.

Quidius,

Dum spectant oculi laesos, leduntur & ipsi:

Multaque corporibus transitione nocent.

Atque hac duo enunciata, Copulatum & Connexum, in ge-
nere enunciant consentanea argumenta: se-
quentia duo, dissenta-

nea.

D s III. Quid

III. Quid est Discretum?

Cuius coniunctio est discretiua. Itaque est dissentaneis præcipue diuersa enunciat. ut Horat.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Iuuenal.

Tota licet ueteres exornent undique ceræ

Atria, nobilitas sola est atque unica, Virtus.

Ouidius,

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,

Summa tamen spes est in bonitate Dei.

Quæ nam est eius Contradictio?

Si negatio præponatur coniunctioni. Vt licet naturam expellas, non tamen recurret: quia (tamen) hic est coniunctio præcipua.

Quomodo iudicatur verum?

Si partes non solum ueræ, sed etiam discretæ sunt. Ridiculum enim sit consentanea segregare, ut Quamquam est homo, tamen est animal.

IIII. Quid est Disiunctum?

Cuius coniunctio est disiunctiua. Vt Aut dies est, aut nox.

Aut pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget.

Itaque est dissentaneis præcipue contraria medio carētia enunciat. Absolute autem consentanea enunciare non potest, nisi alterum negando: ut Aut non est ignis aut urit. Aut homo non est, aut animal est.

Quæ nam est eius Contradictio?

Si negatio præponatur ipsi coniunctioni.

Quomodo iudicatur esse verum?

Disiunctionis necessitas pendet ex necessaria partium oppositione & disiunctione, non ex earum necessaria ueritate. Vt
homo

homo est bonus aut non est bonus. Hæc disiunctio est necessaria, quia sit ex duabus partibus, quæ ita opponuntur, ut verum & falsum distinguant: neutra tamen harum partium necessaria est: sed ambæ uersantur in materia contingenti.

DE SYLLOGISMO.

Quid nunc sequitur?

Hactenus de iudicio axiomatico axiomatis per se manifesti: sequitur dianoëticum.

Quid est *Διάνοια*?

Cum aliud axioma ex alio deducitur: estque syllogismus aut methodus.

Quid est Syllogismus?

Est *Διάνοια* qua quæstio cum argumento, ita disponitur, ut posito antecedente necessario concludatur. Nam cum axioma dubium est, quæstio efficitur, & ad eius fidem tertio argumento opus est cum quæstione collocato. Aristoteles libro 1. Prior. cap. 1. sic definit: *συλλογισμός ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει*. Est oratio, in qua positis quibusdam, dicitur quid à positis ex necessitate sequitur. Sed hæc definitio etiam argumento conuenit. Ut

Venti incubuere mari:

Densi funduntur ab æthere nymbi,

Crebris micat ignibus æther,

Est igitur tempestas.

Vbi agit Aristoteles de Syllogismo?

In duobus libris Priorum Analyticorum.

Quo-

Quomodo appellat Aristoteles tertium argumentum?

Vocat medium μέσον, sumpta metaphora è topico contraria similitudinis. Ut honestum, iustum, utile. Omne enim honestum est utile, quia iustum ait Cicero. Sed id saltem in prima figura accidit. Nam hæc analogia in cæteris figuris non est.

Quot sunt confid. in Syllogismos?

Triā. 1. Partes. 2. Affectio. 3. Species.

I. Quot sunt Syllogismi partes?

Duæ: Antecedens, quod complectitur propositionem & assumptionem & Consequens, quod complectitur partes questionis eamq; concludit: unde complexio & conclusio dicitur. Nam duas tantum partes syllogistici antecedentis esse, differt Aristoteles lib. 1. Prior. cap. 26. secus si quid præterea sit, esse τῶν ποσῶν ὁ γὰρ μὴ.

II. Quæ nam est Syllogismi Affectio?

Est ὑποκρίσις occultatio: de qua 2. Prior. cap. 20. & 2. Top. capite 1.

Quot sunt Species ἑρμηνείας?

Tres, Ellipsis, Redundantia, Inuersio.

Quid est Ellipsis?

Cum pars syllogismi deest, & dicitur ENTHYMEMA, id est, syllogismus imperfectus 2. Prior. cap. 27. Enthymematis uerò referta sunt in bonis autoribus omnia; de syllogisticis questionibus uix millesimam pleno syllogismo conclusam inuenies.

Quid

Quid est Redundantia?

Cum præter illas tres partes aliquid accedit & dicitur Pro syllogismus, approbatio. Vide Ciceronem lib. 2. ad Herennium & lib. 1. de Inuent.

Quid est Inuersio?

Cum partium ordo confunditur. Ita explenda quæ desunt: amputanda quæ supersunt: & pars qualibet in locum artis redigenda.

Vnde sumitur Propositio Syllogismi?

Sumitur plerumque à Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Mathematica, Philosophia, Iurisprudentia, Medicina. Regula enim & leges quæ primis annis ediscuntur, non solum prima sunt suæ ueritatis indicia, sed sunt etiam propositiones & fundamenta iudiciorum syllogisticorum, quæ postea concludimus in specialibus & inde deductis rebus,

Vnde est nomen Syllogismi?

Ab Arithmetici sumptum est, quibus syllogismus calculi significat seu collectionem & summam ex additione uariarum nominum & capitum. Et siquidem in arte Arithmetica præclarum est, quod in primis Logico Syllogismi iudicio respondeat: regula est quatuor proportionalium, quam Auream uocant. Ut 2. ad 3. sic 6. ad quem: quartus proportionalis queritur. Multiplicatur igitur secundus per tertium, & factus 18. diuisus per primum, educit nouem pro quarto: & iam concluditur: Ut 2. ad 3. sic 6. ad 9. Sic syllogismus à duobus concessis & manifestis, tertium iudicat & concludit. Quare aurea uel ecclesiæ potius regula & diuina dici meretur.

III. Quot sunt Species syllogismi?

Dua. Est enim simplex aut compositus.

Quid

Quid Aristoteles de hac diu-
sione?

Nihil. Nulla enim in Organo de compositis syllogismis est
uerbum: Partitio est Theophrasti, Eudemi, Boetij.

Q V I D E S T S I M P L E X
Syllogismus?

Vbi pars quaestionis cum argumento disponitur: conse-
quens in propositione, antecedens in assumptione.

Quot sunt genera seu Figuræ sim-
plicis syllogismi?

Tres sunt ex triplici simplicis dispositionis uarietate. Nam
si argumentum maiorem partem quaestionis antecedit & mi-
norem sequitur, est prima figura. Sin utramq; partem quaestio-
nis sequitur, est secunda: si deniq; utramq; partem antecedit,
est tertia. Et hæc est summa pontis asinarij, de quo multa lib.
1. Prior. cap. 28.

D E P R I M A F I G V R A.

Quid est prima figura?

In qua argumentum antecedit in propositione generali se-
quitur affirmatum in assumptione. Vnde efficitur ex omnibus
enunciatis negantibus, aut ex omnibus specialibus, aut ex pro-
positione speciali, aut ex assumptione negante, uitiōse & illegi-
time concludi. Vide Aristot. lib. 1. Prior. cap. 4. & 24.

Quot sunt modi primæ figuræ?

Quatuor sunt recti & legitimi, ex quibus uitiōsos, qui oc-
currunt in hoc genere dispositionis, etiam cognoscere & in-
telligere

Intelligere possumus: quia rectum est index sui & obliqui.

Qualis est primus Modus?

Propositiō

Est usquequaq; affirmatus & uniuersus. Vt Ouid. i. Fast.

Dic age frigoribus quare nouus incipit annus,

Qui melius per Ver incipiendus erat

Questio

Bruma noui prima est, ueterisq; nouissima Solis.

Complexio.

Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Assumptio.

Quod breuius sic concluditur argumento ex causa efficiente.

Propositiō.

PRINCIPIVM PHOEBI, est anni principium.

Bruma est PRINCIPIVM PHOEBI

Bruma igitur est anni principium.

Qualis est secundus?

Expositio

Est usquequaq; uniuersus, sed assumptione duntaxat affirmatus. ut Horat. lib. i. Epist.

Quod melior seruo quod liberior sit auarus,

In triujs fixum cum se demittit ob assem,

Non uideo; nam qui cupiscit, metuet quoq; porro.

Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.

Quod breuius sic concluditur argumento à dissentiēciis.

N. TIMIDVS est liber.

O. auarus est TIMIDVS

N. auarus igitur est liber.

Cōplexio cum

prosyll. à parē

bus et effectis.

Assumptio.

Propositiō

relata.

Qualis est tertius?

Expositio

Est affirmatus usquequaq; , sed propositione tantum uniuersus. Sic apud Ouid. Carmenta filium Euandrum hortatur ut exilium æquo animo ferat.

— Fortuna uiriliter, inquit,

(Siste puer lacrymas) ista ferenda tibi est.

Assumptio

declarata

uersis.

Nes

Nec meriti pœnam pateris, sed numinis iram;

Propositio. Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra

Rectora pro facto spemq; metumq; suo

Quod breuius sic iudicatur argumento ab adiunctis animi, id est, bona conscientia.

BENE SIBI CONSCIVS aduersam fortunam fortiter ferre debet

Euander est SIBI BENE CONSCIVS

Tyrmos. Euander igitur fortunam fortiter ferre debet.

Qualis est quartus Modus?

Est sola propositione uniuersus; solaq; assumptione affirmatus. *Vi Martialis.*

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,

Quodq; tibi est semper non alienus odor

Hoc mihi suspectum est quod oles bene Posthume semper;

Posthume non bene olet, qui semper olet.

Syllogismus clarius sic exponitur.

NON BENE SEMPER OLENS, bene olet:

Posthumus SEMPER BENE OLET:

Posthumus igitur non bene olet.

Atq; hi sunt 4. modi primæ figuræ; in genere tamen duo duntaxat modi sunt cuiusq; figuræ: unus affirmatus, alter negatus

in prima & tertia; uel uniuersus specialis ut in secunda. Et huius figuræ primæ modus tertius & quartus, à primis deducuntur: tertius à primo, quartus à secundo. Quic-

quid enim illic generaliter concludi-

ur, hic specialiter con-

cluditur.

DE SECUNDA FIGURA.

Quid est secunda figura?

In qua argumentum utramque partem quaestionis consequitur, negatum in altera parte. Vnde efficitur ex omnibus affirmatis in hac figura nihil concludi: & complexionem esse semper negatam, propositionem autem generalem.

Quot sunt modi secundæ figuræ?

Quatuor sunt legitimi: primus & secundus generales, tertius & quartus speciales.

Qualis est primus modus?

Est usquequaque generalis sed assumptione duntaxat affirmatus. Sic apud Ouid. Pythagoras deterret ab esu carniū:

Prodiga diuitias alimentaque mitia tellus

Suggerit, atque epulas sine cæde & sanguine præbet.

Sunt etenim fruges, sunt deducunt ramos

Pondere poma suo, tumidaque in uitibus uuae:

Sunt herbae dulces, sunt quæ mitescere flammâ

Molliri queant, nec nobis lacteus humor

Eripitur, nec mella thymi redolentia florē.

Carne fera sedant ieiunia, nec tamen omnes:

Quippe equis & pecudes, armenta que gramine uiuunt.

At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,

Armenia tigris, iracundi que Leones,

Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.

Heu quantum scelus est in uiscere, uiscera condi,

Congesto que auidum pinguescere corpore corpus

Alteriusque animantem animalis uiuere letho:

Scilicet in tantis opibus, quas optima mater

Ergo.

Propositio.

Prosyll. ex enumeratione partium.

Alius prosyll. ex aduersis.

Assumptio.

Æ

Terra

Côplexio cum iteratione argumenti & cōparations. Terra creat, nil te nisi tristitia mandere sæuo
Vulnera dente iuuat, ritusq; referre Cyclopum.
Syllogismus breuius sic iudicatur.

N. naturalis hominum cibus est **CRVENTVS**;
O. esus carniū est **CRVENTVS**;
N. igitur esus carniū est naturalis hominum cibus.

ΚΑΤΑΧΕ.

Qualis est secundus?

Est usquequaq; generalis, sed propositione duntaxat affirmatus. Vt Martial.

Quæstio. Quòd non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes;
Propositio. Miraris? Pylades Marce bibeat idem.
Nec melior panis, turdus'ue datur Orestii,
Sed par atq; eadem cœna duobus erat.

Assumptio. Tu Lucina uoras, me pascit aquosa Peloris.
Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.

Côplexio cum iteratione argumenti. Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem,
Hoc non fit uerbis: Marce, ut ameris, ama.

Quod breuius sic iudicatur à dissentaneis amicitiae, quòd nulla sint bona communia:

O. ueri amici **COMMVNIA HABENT OMNIA**, ut Pylades & Orestes.

N. hoc tempore **COMMVNIA HABENT OMNIA**, exemplo est Marcus & Martialis.

N. itaq; hoc tempore ueri sunt amici.

Idem.

Complexio. Vxorem quare locupletem ducere nolim

Assumptio. Quariis: tibi nubere nolo meæ.

Inferior matrona sua sit Prisce marito

Propositio. Non aliter fiunt femina uirq; pares.

Syllos

Syllogismus pressius concluditur hoc modo.

O. bona matrona debet esse **INFERIOR SVO**
MARITO:

N. uxor locuples est **INFERIOR SVO MA**
RITO:

N. igitur uxor locuples est bona matrona.

Qualis est tertius?

Est sola assumptione affirmatus, & sola propositione ge-
neralis. Cicero:

N. ciuitas est **LATRONVM MULTITVDO:**

Cum Cicero Roma est eiectus, **FVIT LATRO-**
NVM MULTITVDO:

Roma igitur tum non fuit ciuitas.

Hic modus sub primo quodammodo continetur: quia quod il-
lis generaliter negatur, hic specialiter negari potest.

Qualis est quartus modus?

Est sola propositione generalis & affirmatus: qui ex secun-
do deduci potest, si assumptionem & complexionem, quae illis
generales sunt, in speciales mutaueris. Cicero.

O. exilium est **POENA PECCATI.**

Ciceronis discessus ex urbe **NON FVIT POE**
NA PECCATI:

Ciceronis igitur discessus non fuit exilium.

DE TERTIA FIGURA.

Quid est tertia figura?

In qua argumentū utranq; partē quæstionis antecedit: ita ut
assumptio affirmata, cōplexio specialis sit. Syllogismus uerò ter-
tiæ figuræ semper ferè est enthymematicus, quod argumentū pro

B 2 exempla

exemplo subiicitur particulari quaestioni. Vnde à quibusdam syllogismus contractus dicitur. Vt Quaedam confidentia est uirtus, ut constantiam: tanquam esset explicatum & expressum:

CONSTANTIA est uirtus

At CONSTANTIA est confidentia.

Quaedam ergo confidentia est uirtus.

Quot sunt modi tertiæ figuræ?

Sex sunt: qui tamen ad duos reuocari possunt: ut primus sit usquequaq; affirmatus & utraq; parte antecedente uel altera tantum generalis, ut primus, tertius & quartus. Secundus uero sola assumptione affirmatus & utraque parte antecedente uel altera tantum generalis, ut secundus, quintus & sextus. Itaque eadem quaestio tribus modis affirmata, tribus negata concludi potest.

Ἀπὸ τοῦ.

Qualis est primus modus?

Est usquequaq; affirmatus, sed propositione & assumptione duntaxat generalis. Vt.

O. tyranni sunt improbi.

O. tyranni sunt locupletes

Q. igitur locuples est improbus.

Σθεν ἀπὸ τοῦ.

Qualis est secundus?

Est assumptione duntaxat affirmatus, propositione autem & assumptione generalis. Vt.

N. tyranni sunt probi.

O. tyranni sunt locupletes

Q. igitur locuples non est probus.

Reliqui quatuor modi unam tantum partem generalem habent.

Qualis

Qualis est tertius?

Iohannis.

Est usquequaque affirmatus, sed assumptione tantum generalis. Vt

Q. tyrannus est improbus.

O. tyrannus est locuples.

Q. igitur locuples est improbus.

Qualis est quartus?

Antonii.

Est usquequaque affirmatus, sed propositione tantum generalis. Vt.

O. tyrannus est improbus.

Q. tyrannus est locuples.

Q. igitur locuples est improbus.

Qualis est quintus?

Quadrati.

Est sola assumptione generalis & affirmatus. Vt

Q. tyrannus non est probus.

O. tyrannus est locuples.

Q. igitur locuples non est probus.

Qualis est sextus modus?

Philippi.

Est sola propositione generalis, sola assumptione affirmatus. Vt

N. tyrannus est probus

Q. tyrannus est locuples.

Q. igitur locuples non est probus.

DE SYLLOGISMO COM-
posito.

Quid est Syllogismus compo-
situs?

Est Syllogismus ubi tota questio est pars altera propo-
sitionis

*tionis affirmata & composita: argumentum est pars reliqua.
Et in hoc syllogismo tollere dicimus, cum specialem, contra-
dictionem ponimus.*

Quotplex est Syllogismus
compositus?

Duplex: Connexus & Disiunctus. Copulatum enim enun-
ciatum in simplici duntaxat syllogismo propositio esse potest.
Discreti uero iudicium est ἀσυνδυαστός.

QVID EST CONNEXVS.

Est syllogismus compositus cuius propositio est connexa.

Quot sunt eius modi?

Duo, quos comprehendit Aristoteles lib. 2. Top. cap. 2. pro ar-
gumento ab antecedentibus & consequentibus.

Qualis est primus modus?

Qui assumit antecedens & consequens concludit.

Quid uocas assumere?

Assumere hic non est affirmare, sed repetere & retinere om-
nino quale propositum erat: si affirmatum, affirmatè si nega-
tum, negatè Vt Cicero in Catone.

Si mors extinguit animum, negligenda est: si æternum
relinquit, optanda.

Atqui uel extinguit, uel neutrum relinquit.

Estigitur aut negligenda aut optanda.

Et Martialis:

Esse nihil dicis, quicquid petis, improbe Cinna:

Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

Aliquando plus assumitur, quàm erat in antecedente par-
te propositionis propositum: sed in tali amplificatione maius
continet in se uim minoris. Vt: Si mi-

Si mihi bona fortunæ largitus esses, me tibi plurimum
debere faterer.

At uirtutem & sapientiam, quæ est opibus omnibus
melior, tribuisti.

Quanto igitur magis tibi obstri-
ctus sum?

Concludendi quoque modus hic idem est, quando propositio
est relata temporis aut consequentiæ. Ut

Quando homo currit, mouetur,

Atqui homo currit.

Ergo homo mouetur.

Qualis est secundus modus?

Qui tollit consequens, ut tollat antecedens, Ut

Si omnis exercitatio est utilis, nullus ludus fugiendus
est:

At aliquis ludus fugiendus est:

Aliqua igitur exercitatio non est utilis.

Specialis autem contradictio in hoc secundo modo præci-
pue requiritur: secus ἀσυνλόγιστος fuerit. Atque hi duo modi
connexi usum maximum habent in communi sermonis consue-
tudine, multoque frequentius occurrunt, quam reliquorum ge-
nerum syllogismi. Nullum enim ferè genus est argumenti,
quod non aptè tractari his duobus modis possit: & pleraque
argumenta, quæ syllogismos simplices fugiunt, facilius hæc
coniuncta dispositione explicantur, ut comparationes parium,
maiorum, minorum, similium, dissimilium, notatio, cōiugatio.
Quinetiam usum horum syllogismorum ualde celebrem esse, in-
dicat λογότροπος, qui est connexorum syllogismorum quasi
compendium. Ut, Si Plato uiuit, respicit: Atqui primum. Se-
cundum igitur. Vel Non autem hoc. Nec illud igitur,

Quid Aristoteles de connexis syllogismis?

Nullam artem de his exposuit in Organo, sed pro argumentis habuit, ut supra diximus. Theophrastus autem & Eudemus postea hos scriptis suis prodiderunt & hos secutus Boëtius: qui sicut antea decies millenos modos connexorum enunciatorum inuenerunt: ita nunc septuagenos syllogismorum connexorum inuenerunt: quos nos duobus comprehendimus.

QVID EST DISIUNCTVS
Syllogismus?

Est Syllogismus compositus, cuius propositio est disiuncta.
Quot sunt eius modi?

Duo, quos itidem Aristoteles libro 2. Top. capite 2. comprehendit.

Qualis est primus modus?

Primus tollit unum ut reliquum retineat. Vt

Aut dies est aut nox

At dies non est.

Nox igitur est.

In disiuncta autem propositione nihil interest duæ sint an plures partes, eadem enim tollendi ac retinendi, ac proinde iudicandi concludendique ratio fuerit. Vt

Equus aut est homo aut planta aut bestia.

Non est autem homo neque planta.

Est igitur equus bestia.

Qualis est secundus modus?

Est propositio partibus omnibus affirmat unum & reliquum tollit. Vt.

Dies

Dies est aut nox.

At dies est,

Ergo non est nox.

Secundo disiunctio similis est negatio copulatae propositio-
nis, quæ negata complexio dicitur, quæq; disiunctionis affir-
mata vim obtinet, in qua tantum unum retinere licet, ut quod
reliquum est tollatur. Vt.

Non & dies & nox est.

Dies autem est.

Non igitur nox est.

Est autem genus hoc enunciandi rarum, & quo nullum ex
omnibus sit distortius, ut ait Cicero in Fato: Atq; hæc de iudi-
cio syllogisimi.

Nullæ'ne aliæ sunt species argu-
mentationis præter syl-
logismaum?

Nullæ. Nam quod ab alijs recensentur enthymema, indu-
ctio, exemplum, dilemma, Sorites, pro nouis speciebus argu-
mentationis: id ridiculum est. Nam Enthymema est mutilatus
syllogismus, ut supra de crypsi diximus. Inductio uerò, exem-
plum, dilemma, argumentorum nomina sunt. Vt enim indu-
ctio est argumentum à partibus ad totum, exemplum à specie:
sic DILEMMA seu syllogismus cornutus à contrarijs me-
dio carentibus argumentum est. SORITES uerò seu Gra-
datio progressio est Enthymematica: ac quia minutatim ac
gradatim addit, & paulatim uelut congestis granis acervum
efficit, *συνεπίρριπτος* acervualis appellatur: uulgo de primo ad ulti-
mum. Estq; in rebus inter se necessariò connexis utiliter inuen-
tus. Facile autem retexetur, si ad syllogismi leges membratim
referatur. Exemplum Ciceronis lib. 3. Offic. illustre est.

Quid Aristoteles de connexis syllogismis?

Nullam artem de his exposuit in Organo, sed pro argumentis habuit, ut supra diximus. Theophrastus autem & Eudemus postea hos scriptis suis prodiderunt & hos secutus Boetius: qui sicut antea decies millenos modos connexorum enuntiatorum inuenerunt: ita nunc septuagenos syllogismorum connexorum inuenerunt: quos nos duobus comprehendimus.

QVID EST DISIUNCTVS
Syllogismus?

Est Syllogismus compositus, cuius propositio est disiuncta.
Quot sunt eius modi?

Duo, quos itidem Aristoteles libro 2. Top. capite 2. comprehendit.

Qualis est primus modus?

Primus tollit unum ut reliquum retineat. Vt

Aut dies est aut nox

At dies non est.

Nox igitur est.

In disiuncta autem propositione nihil interest duæ sint an plures partes, eadem enim tollendi ac retinendi, ac proinde iudicandi concludendiq; ratio fuerit. Vt

Equus aut est homo aut planta aut bestia.

Non est autem homo neq; planta.

Est igitur equus bestia.

Qualis est secundus modus?

Est propositio partibus omnibus affirmat unum & reliquum tollit. Vt.

Dies

Dies est aut nox.

At dies est,

Ergo non est nox.

Secundo disiunctio similis est negatio copulatae propositio-
nis, quæ negata complexio dicitur, quæq; disiunctionis affir-
mata uim obtinet, in qua tantum unum retinere licet, ut quod
reliquum est tollatur. Vt.

Non ☉ dies ☉ nox est.

Dies autem est,

Non igitur nox est.

Est autem genus hoc enunciandi rarum, ☉ quo nullum ex
omnibus sit distortius, ut ait Cicero in Fato: Atq; hæc de iudi-
cio syllogismi.

Nullæ'ne aliæ sunt species argu-
mentationis præter syl-
logismum?

Nullæ. Nam quod ab alijs recensentur enthymema, indu-
ctio, exemplum, dilemma, Sorites, pro nouis speciebus argu-
mentationis: id ridiculum est. Nam Enthymema est mutilatus
syllogismus, ut supra de crypsi diximus. Inductio uerò, exem-
plum, dilemma, argumentorum nomina sunt. Vt enim indu-
ctio est argumentum à partibus ad totum, exemplum à specie:
sic DILEMMA seu syllogismus cornutus à contrarijs me-
dio carentibus argumentum est. SORITES uerò seu Gra-
datio progressio est Enthymematica: ac quia minutatim ac
gradatim addit, ☉ paulatim uelut congestis granis acervum
efficit, *σωπεύς* acervalis appellatur: uulgo de primo ad ulti-
mum. Estq; in rebus inter se necessariò connexis utiliter inuen-
tus. Facile autem retexetur. si ad syllogismi leges membratim
referatur. Exemplum Ciceronis lib. 3. Offic. illustre est.

E 5

Sina-

Si naturalis est consociatio, communis est utilitas

Si utilitas communis, communis lex naturæ

Si communis lex naturæ, prohibita est iniuria.

Nunc de primo ad ultimum: Si ergo naturalis est consociatio, prohibita est iniuria.

Hic Sorites syllogismo dupliciter concludi potest: uel de primo ad ultimum:

Si naturalis est consociatio, prohibita est iniuria.

Verum autem primum.

Verum igitur & extremum.

Vel assumpta ultima propositione: hoc modo

Si communis lex naturæ, prohibita est iniuria.

Verum autem primum.

Verum igitur & extremum.

Dilemma uerò quomodo syllogismo includatur, ostendit exemplum quod supra in primo modo connexi syllogismi proposuimus.

Vbi agit Aristoteles de Inductione,
exemplo & enthymemate
& Sorite?

De tribus primis agit in tertia sectione lib. 2. Posteriorum.
Soritem descripsit in Categorijs in regula Homogeneorum.

DE METHODO.

Quæ nam est altera pars Dianoë-
tici iudicij?

Est Methodus.

Quid est Methodus?

Est *διαφορα* uariorum axiomaticum homogeneorum, suo
uel

uel syllogismi iudicio notorum & pronaturæ suæ claritate præpositorum, unde omnium inter se conuenientia iudicatur, memoriæq; comprehenditur. Sicut autem in axiomatica ueritas & falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequentia spectatur: ita in methodo ordo & confusio iudicatur.

Quotruplex est Methodus?

Duplex. Perfecta & Imperfecta.

Quid uocas Perfectam?

In qua disponitur ex homogeneis axiomatis primo loco absoluta notione primum, secundo secundum, tertio tertium & sic deinceps: ut ab unitate per media genera ad indiuiduam multitudinem descendatur, ut Plato loquitur: uel γεννώτατω generalissimum summo loco: ὑπάρχοντα subalterna intermedio: εἰδικώτατα specialissima infimo loco sint, ut Peripatetici loquuntur. Est enim perpetua eius lex ut ab uniuersalibus ad singularia perpetuò progrediatur. Hac enim sola & unica uia proceditur ab antecedentibus omnino & absolute notioribus ad consequentia ignota declarandum: eamq; solam methodum Aristoteles docuit. Nam etsi ille de methodo in Organo nihil dicat (nisi quantum in principio primi Poster. leui brachio quodammodo attingit) in alijs tamen libris idem ferè monet, quod in uera methodo præcipitur, ut ab uniuersis & generalibus rebus ad speciales partes, uia & ordine progrediamur: qua de re uide libro Ethic. capite tertio, & libro secundo, capite 2. Libro 1. Physic. capite primo. Et ne quis hîc calumniari possit, memorabilia uerba Porphyrij de methodo hîc adscribenda duxi. Sic autem ait in capite de Specie.

Td

Τὰ εἰδικιώτατα αἰρ ἀριθμῶ μὲν τινὶ εἶσι, ἡμῖν δὲ ἀπε-
 ρω, τὰ δὲ ἄτομα ἀπὲρ ἐστὶ τὰ μετὰ τὰ εἰδικιώτατα, ἀπε-
 ρα, διὸ μέχρι τῶν εἰδικιωτάτων ἀπὸ τῶν γενικιωτάτων
 κατιόντας, παρενελεύετο ὁ Πλάτων πᾶν εἶναι, κατιέναι
 δὲ διὰ τῶν διὰ μέσθ διαιρουν[τας] τὰς εἰδοποιούς δια-
 φοραῖς, τὰ δὲ ἀπερὰ φησιν ἐᾶν, μηδέ γὰρ ἀρ γενέσθαι
 τῶν ἐπισημν, κατιόντας μὲν ὅρ εἰς τὰ εἰδικιώτατα,
 ἀνάγκη διαιρουν[τας] διὰ πλῆθος εἶναι, ἀνιόν[τας] δὲ εἰς τὰ
 γενικιώτατα, ἀνάγκη συναεῖν τὸ πλῆθος εἰς ἓν, συναγω-
 γὸν γὰρ τῶν πολλῶν εἰς μίαν φύσιν τὸ εἶδ[ος], καὶ ἐτι μάλ-
 λον τὸ γέν[ος]: τὰ δὲ κατὰ μέρος καὶ καθ' ἕνασθ[ος] τοῦναν-
 τίον, εἰς πλῆθος αἰε διαιρεῖ τὸ ἓν, διαιρετ[η]νὸν μὲν γὰρ τὸ
 καθ' ἕνασθ[ος], συληπ[η]νὸν δὲ ἡ ἐνοποιὸν τὸ κοινόν. Plato-
 nis uidelicet hîc methodus, quâ in Philebo tradit, attingitur:

Ἐν καὶ πολλὰ, Vnum & Multa.

Πρῶτον ὕστατον Primum, Vltimum.

Πέρασ καὶ ἀπειρον. Terminus & Infinitas.

Cui Platonice methodo respondent,

Aristotelis γέν[ος] καὶ εἶδ[ος], Genus & Species.

Hippocratis μέγιστον καὶ ῥῆϊστον, Maximum & Fa-
 cillimum.

Galenî, ὁμοιον καὶ ἀνόμοιον. Simile & dissimile.

Quid, An' non & Analysis & Ge-
 nesis methodi species

sunt:

Methodus doctrinæ & praeceptorum una est, quam dixi-
 mus: in usu uerò & exemplis Analysis & Genesis uersantur:
 de quibus paulo p[ost]. Tota confusio à Medicis orta est, qui de
 methodis multa & uaria præcipiunt: et methodi nomine aliàs
 totam dialecticam cōprehendunt, cum eam diuidunt in Ana-
 lysin

lysin et Genesin. Analyseos enim cogitatione in inuocationem
incidunt, sicut Geneseos in dispositionem : quia per Analysin
res inueniendas dicunt, per Genesin collocandas. Idem parti-
culam aliquam dialecticæ confundunt nomine methodi, cum
dicunt definitionem, diuisionem, &c. methodos esse.

Cur à generalibus ad specialia in
docendo defenden-
dum est?

I. Quia illa est uia scientiæ & intelligentiæ. Nam genera-
lia sunt (ut ait Aristoteles) ἀπὸ τῶν τετρα, ἀρχῶν διέγγρα, ἀπὸ τῶν
τετρα, ideoq; ἐπισημοῦν τῶν τετρα. II. Quia dispositio illa or-
dine tam perspicui tamq; succincti, est MEMORIAE &
constituendæ et confirmandæ sola & singularis magistra. Or-
do enim memoriæ pater est : memoriæq; dispositionis gradus
perinde ac umbra, lucente Sole, corpus sequitur.

Quomodo descenditur à genera-
libus ad specialia?

In docendo generalis & uniuersa declaratio præcedit, qua
lis est definitio & summa quædam comprehensio : tum sequi-
tur specialis per distributionem partium explicatio : postre-
mò partium singularum, quo ordine propositæ sunt, definitio,
& ex idoneis exemplis illustratio. Eius rei exempla principia
sunt in artibus legitime constitutis, imò in omnibus rebus quas
facile & perspicue docere uolumus. Ideoq; Poëtæ, Oratores,
omnesq; omnino scriptores, quoties auditorem sibi docendū
proponunt, hanc uiam sequuntur. Poëtæ enim materia propo-
sitam diuidunt, & partes sua quantq; ordine dispositas perse-
quuntur. Oratores uerò in proæmio, narratione, confirmatio-
ne, per oratione hunc ordinem affectant. Verum hîc unum o-
biter præcipiendum est, non solum ut distributarum partium
ordinem

ordinem persequamur: sed in singulis expositis & præteritarum rerum & consequentium breuiter admoneamus. His enim *TRANSITIONVM* uinculis partes colligantur, & animus ad intelligendum ualdè excitatur, causas enim maxima perspicuitatis continent. Atq; hæc de perfecta methodo: quæ quantò *PRAECEPTIS* breuissima, tantò *VS* cum experimur, maxima, grauissimaq; est.

Quid est imperfecta methodus?

Est quæ non tam ad docendum, quàm ad delectandum uel mouendum pertinet. Hac enim tum utimur cum delectatione motu'ue aliquo maiore, in parte aliqua auditor fallendus est: quæ *νεψυς* occultatio methodica in poëtis & oratoribus frequens est. Nam philosophis ordo intelligentiæ, oratoribus uictoriæ, poëtis uoluptatis & gratiæ propositus est.

Quotuplex est illa *νεψυς* methodica?

Triplex. Mutila, Redundans, Inuersa. Vide lib. 2. Prior. ca. 20. Lib. 8. Top. cap. 1.

Quid est Mutila?

Qua homogenea quædam reijciuntur, ut definitionū, partitionum, transitionum lumina.

Quid est Redundans?

In qua assumuntur heterogenea, uelut digressiones à re & in re commemorations. Aristoteles ἐν ποσειδιᾳ uocat, id est, aduentitium iucundumq; acroama.

Quid est Inuersa?

Qua præcipuè rerum ordo initio inuertitur, antecedentiaq; nonnulla consequentibus postponuntur. Breuiter in mutila est ἡ διαψυς, in redundante ἐπερογένεια & τὰ ὁλογοῖα: in inuersa ὁ γερρολογία.

DE ANALYSI.

Quid nunc sequitur?

E' duobus fundamentis artis Logicæ, **PRÆCEPTA** sicut erat institutum, exposita sunt: **VSVS** & exercitatio (quæ reliqua est) nobis est iidem paucis attingenda, quæ in actum præcepta deducat. Exercitatio enim præceptorum anima est, quia omnes artes iacerent, nisi studio & usu exercitarentur & tanquam animarentur.

Quotuplex est vsus seu exercitatio dialecticæ?

Duplex. Vna in exploratione disputationis iam factæ, quæ *Analysis* dicitur: Altera in nouæ affectione & compositione, quæ *Genesis* dicitur. *Analysis* enim uersatur in explorandis scriptis aut consilijs aut dictis tum nostris tum alienis: cum uidemus primum rem de qua agitur, deinde rationes, tum earum dispositionem: & singulas partes diligenter excutimus. *Genesis* est secunda exercitatio, qua uel ad aliorum imitationem aliquid meditamur, uel sine exemplo proposito aliquid ingenio nostro molimur & efficiamus.

Vnde dicitur *Analysis*?

Ἀπὸ τοῦ ἀναλύνειν, id est, retexendo, quod hæc exercitatio quasi Penelope contextam iam telam retexat. Quanquā paulo secus de uerbo isto Græci interpretes offerunt, quod ἀναλύνειν sit ἀποδιδόντων καὶ ἀνασφραγίστων εἰς τὰ οἰκία, peregrinantium & domum reuersorum. At quemadmodum terminus, syllogismus, mediū, figura, genesis à Mathematicis profa-

profecta sunt, ita & Analysis. Nam Geometrica methaphorā est: sic enim Geometria nominant quæstionis reditum ad principia, ut sit inuersio, quæ contrā ex effecto opere reuertatur ad prima principia. Sic Philoponus in 1. *Ποστὰνάλυσιν*, inquit, καλοῦσιν οἱ γεωμέτραι τὴν εὐρεσιν τῶν προτάσεων, δι' ὧν συνήχθη τὸ ἀληθὲς συμπέρασμα.

Quottuplex est Analysis?

Duplex. *Virtutum & Vitiorum*. Nam in explorandis propositis exemplis, quæ uel lecta uel audita uel etiam tantum meditata sunt, non solum laudes cernendæ sunt, ut propria, perspicua, certa, uera, consentanea concedantur: sed etiam uitia notanda, ut aliena reijciantur, obscura explicentur, ambigua distinguantur, falsa negentur, inconsequentia suspendantur.

Quæ nam igitur hîc præcepta habes?

Primò Analysis opus uniuersum quod explicandum suscepit, à capite retextet: quæstionem cernet, quæ differenti proponitur, argumenta quibus tractetur aspiciet: & ad loci unde sumpta sunt, legem naturamq; referet: dispositionem postremò ad propositam regulam comparabit.

Quid de his Aristoteles?

Analysin inuentionis nullam tradidit: de dispositionis Analysis præcepta statuit excellentia in primo lib. Prior. & si quid in toto organo Logico Aristotelis nomine dignum est, Aristotelis ista de Analysis præcepta & magnifica theorematata sunt. Primò autem Analyseos fructum & finem cap. 33 proponit, quod sit disputationis inuentæ & dispositæ confirmatio & illustratio. Deinde in eodem cap. & sequenti monet, ut cum fuerit exemplum syllogismi retexendum, tres terminos spectandos esse, quorum duo sint problematis, tertius inuentionis & medij.

medij. Secundò genesin syllogismi spectandam: quod d. sit addendum: quod supersit, deirahendum: in eoq; medij thesin indicare figuram, ut antea definitiones figurarum docuerunt. Deinde circa inde eo ip terminorum præcipit cap. 36. ut termini apta oratione exponantur, nec symbola modo habitum, modo habiuis susceptiuum significent. Deniq; cum termini fuerint orationes, nec uno categoriæ modo proferantur, ut habetur cap. 37: tamen quò certius de oblato disputationis exemplo iudicium fiat, iubet cap. 39. ut quoad perspicuitas patitur, termini compositi in simplices contrahantur, & disputatio amplà in breuiore forma dijudicetur.

Qualis nam est Resolutio uitorum?

Analysis, ut uirtutes inuentionis, dispositionisq; sic etiam uia idq; uirtutum oppositione spectabit. Itaq; in inuentione uidentum est, ne non causæ ut causæ, non effecta ut effecta eodemq; modo in cæteris ponantur. In syllogismo ne sit alienus, ne obscurus, ne ambiguus, ne inconstans. In methodo ne omitantur definitiones & partitiones: ex hac enim confusione rerum immensa quædam obscuritas existit. Est etiam magni erroris nò eodem ordine prosequi partes quo proposueris: obest enim perspicuitati plurimum, cuius tamen causa ordo et dispositio laudatur.

Quid Aristoteles de uitiorum Analysis?

In secundo libro Priorum quædam uitia Logica recenset in sectione secunda à cap. 18. usq; ad 22 ut sunt petitio principij, non causa, falsa ratio, cata syllogismus seu crypsis, elenchus, fallacia secundum opinionem. Verum in duobus libris Elenchorum ex professo & ad longum de hac uitiorum Logico-

rum *Analysi* agit: camq; in duo genera distinguit.

Quæ nam sunt illas

Vitium omne est aut in uerbis aut in rebus. Quod in uerbis est, aut ex homonymia est, aut ex amphibolia, aut ex compositione & diuisione, aut ex accentu, aut ex figura: In rebus uerò sunt fallacia accidentis, dictum secundum quid ad dictum simpliciter, ignoratio elenchi, uitiosum consequens, petitio principij, causa non causa, multiplex interrogatio.

DE GENESI.

Quid est Genesis?

Est non inspectio propositi exempli ut *Analysis*, sed effectio noui operis.

Quotplex est?

Duplex. Scriptio & Dictio: quarum utraq; rursus est uel subita & extemporalis, uel cogitata & commentata. Licet enim scribere & dicere uel subito & ex tempore, uel sumpto ad cogitandum spacio. Quod utrumq; genus tamen si utile est, posterius tamen magis approbatur: quia multò prudentius & sapientius loquimur et scribimus ea quæ diligentia cogitationis et meditationis processit.

Quotplex est uia descriptionis
& dictionis?

Duplex. Vna quæ Imitatio dicitur: altera Quæstio libera: cum scilicet aliquid, nullo proposito nobis autore, ingenio aut arbitrio nostro scribimus uel loquimur.

Quot sunt imitationis cautiones?

Due. Vna ut optimos autores eligamus. Altera ut eorū uirtutes, non uitia sequamur. Sed quoniam præcepta sine exemplis

plis mortua sunt & lentius disputantur, utranq; partem, *Analysin*, scilicet & *Genesin* in oratione *Quintiana* consideratam subiiciemus.

ANALYSIS ORATIONIS

PRO P. QUINTIO QVA ARTIFL-

cium inuentionis & dispositionis *Logicæ* & imitatio eius-

dem: Item loci ethici & politici indicantur;

& præcepta dialectica ac ethi-

ca illustrantur.

Quænam est Quæstio huius
orationis?



N *Næuius Quintij* bona ex edicto *Prætoris* possederit: id quod *Cicero* negat.

Quibus utitur argumentis?

Tribus principaliter, à causatum remotio-
ne, à dissidentaneis & à genere.

Quo iudicio concluditur?

Enthymematis: deest enim propositio *sylogismi*, qui integ-
ger sic est restituta propositione.

Si *Næuius Quintij* bona ex edicto *Prætoris* possidet, ne-
cesse est ut habuerit causam, cur postularet bona absentis, ut
ex edicto possidere potuerit: ut possederit.

Sed neq; causam habuit cur postularet bona absentis *Quin-
tij*, neq; ex edicto possidere potuit: neq; possedit.

Næuius ergo bona *Quintij* ex edicto *Prætoris* non pos-
sedit.

Quamethodo utitur?

Oratoria. Habet enim Exordium, Narrationem, Constitutionem causæ, Confirmationem, Perorationem.

DE EXORDIO.

Quæ'nam est quæstio Exordij?

An Cicero & Quintius æquo animo à iudice C. Aquilio Gallo sint audiendi.

Quo'nam utitur argumento?

Ab adiunctis difficultatibus ratiocinatur.

Quo'nam iudicio concludit?

Enthymematico. Syllogismus integer sic est:

Qui multis difficultatibus sunt afflicti, ij à iudice sunt æquo animo audiendi. Deest.

Cicero & Quinius multis difficultatibus sunt afflicti.

Ergo à iudice Aquilio æquo animo sunt audiendi.

Assumptio & Complexio prosyllogismos suos habent.

Qui'nam prosyllogismus est Assumptionis?

Primo est distributio earum rerum quæ contra Quintium & Ciceronem faciunt, ut est gratia Næuij & eloquentia Hortensij: Deinde sequitur illorum incommodorum amplificatio per comparisonem, quæ constat syllogismo connexe.

Si ea quæ in aduersarij nostris sunt, ut gratia & eloquentia, essent in nobis mediocria, non tantoperè querendum uideretur:

Sed non sunt in nobis mediocria.

Conquerimur igitur meritò.

Complexio autem deest: & pro assumptione, prosyllogismus est

est ex comparatis dissimilibus. Aduersarij sunt disertī & gratiosi: Cicero & Quintius carent usu & ingenio, opibus & amicis: quin Cicero quoq; tempore deficitur, quod ad cognoscendam causam satis sit.

Qui nam prosyllogismus est

Complexionis?

A' sine sumitur, ut scilicet ueritas multis incommodis debilitata, æquitate iudicis & assessorum recretur. Idq; amplificatur dupliciter: 1. per contrarium. Si enim iudex nullo præsidio erit, nihil factum erit in ciuitate: & additur dilemma cum epiphonemate 2. per prolepsin: cuius obiectio est, non quod iudici aut assessoribus diffidat: responsio uero seu subiectio fit per distributionem adiunctorum, quia Quintium terrent cum periculi magnitudo (quæ arguitur è causis, iudicio, scilicet de fortuna, & potestate iudicis, paribus & genere amplificata) tum aduersarij nobiles, qui adiunctis & effectis describuntur: quod iniquo iudicio Quintium opprimere studet. Iniquum enim est quod reus priore loco causam dicere cogitur: ea iniquitas amplificatur. 1. à persona Hortensij & eius adiunctis. 2. à simili, quod dissimili augetur. 3. à causis efficientibus, ut sunt prætor (qui cōtra consuetudinem iudicium constituit) & aduersarij. His deinde conclusio exordij subijcitur: in qua argumentum syllogismi repetitur, cum petitione per apostropham & obtestationem iudicis & assessorum.

DE NARRATIONE.

Quæ sunt membra Narrationis?

Quatuor. 1. enim est propositio Narrationis ad docilitatem, quæ promittit se dicturum quomodo ab initio res gesta &

F 3

contracta

contracta sit. 2. Narratio rei gesta & contracta. 3. Clausula narrationis *ἡ περιφωρηματικὴ*. 4. Digressio.

Quot sunt partes Narrationis?

Duae. Prior continet societatem C. Quintij & Nauij. Altera controuersiam ex causa societatis ortam.

Quæ nam sunt membra seu circumstantiæ prioris partis. quas I. C. positiones uocant?

Tres sunt. I. Quomodo C. Quintius cum Nauio societate Gallicarum rerum fecerit. ubi describitur C. Quintius paterfamilias. prudens & attentus. Sex. uero Nauius scurra & preco. Deinde describitur res Quintij pecuaria & rustica, ampla & bene culta & factuosa. II. Quomodo Nauius in Galliam profectus fuerit. ubi describitur ipsius auaritia & pleonexia. III. Mors Quintij: qui cum ei suspectus Nauius fuisset, usque rationem reddere non posset, moritur, cum adisset Nauius, repentinò. (Hic 4. suspiciones ueneni latent) & heredem testamento reliquit P. Quintium fratrem: cuius rei causam subiicit.

Quæ nam sunt circumstantiæ posterioris partes?

Mortuo C. Quintio P. Quintius in Galliam proficiscitur: cumque aris alieni aliquantulum esset relictum, auctionem rerum priuatarum proscribit. Ibi Nauius deterreret ne auctionetur, pecuniamque pollicetur. Credit Nauio Quintius auctionem facere desistit: Romam proficiscitur, cum Scapulis decedit quid illis solueretur. Nauiumque certiozem facit, rogat ut curet quod dixisset. Tum Nauius assem se negat daturum, nisi prius de rationibus societatis decidisset. Illa destitutione percussus Quintius, transigere cum Nauio cupit, sed cum conuenire non possent, res in uadimonium esse cepit. Nauius non uadatur. In Galliam

Galliam ergo Quintio profecto, Navius suos necessarios cor-
rogat, qui testificentur Quintium non stetisse & se stetisse: po-
stulat à Prætorē ut ex edicto bona Quintij possidere liceat,
eāq; proscribit. Alphenus procurator Quintij defendere se eū
velle dicit: cumq; negaret æquum esse procuratorem iudicātū
solui satisfacere (ut postulabat Navius) ideoq; tribunos appel-
laret, tribuni tamen iusserunt ut Quintium iudicio sisti pro-
mitteret. Quintius interea Romam venit, uadimonium sistit:
Navius eum producit, & postulat à Prætorē ut Quintius iu-
dicatum solui satisfaciat. Prætor iubet Quintium aut satisfacere
aut sponsonem facere. In hoc summa iudicij consistit: Quæ
est clausula narrationis.

Quid agit in Digressione?

Rursus ad quærelā in exordio positam redit: & criminatur
tum accusatores, qui cogerent reū priore loco causam dicere:
tum Hortensiuū, qui nunc accusat eum antea defenderet: tum
utrosq; quod tempus reo præstituerē uoluerunt quā diu di-
ceret.

DE CONSTITVTIONE

causa.

Quot'nam agit in hac parte?

Triā. I. Transit ad propositionem, ibi: Verum quoniā tibi
&c. Estq; ibidē promissio partitionis cum apostropha ad Hor-
tensiuū: per comparisonem & finem triplicem. II. Proponit.
Negamus te, &c. III. Partitur causam in 3. capita, per quæ
Quæstio seu Status probatur. Partitioni subiungit.

1. petitionem cum apostropha & sine dupli-

ci. 2. Repetitionem propositionis. 3. pol-

licitationem conclusionis.

DE CONFIRMATIONE.

Quot sunt partes Confirmationis?

Tres sunt sicut in partitione fuerunt proposita: quas eodē ordine etiam prosequitur.

Quibus argumentis probat primam partem, Non fuit causa cur postularetur

Duobus argumentis. I. Quia *Nauius Quintius* nihil debuit. II. Quia *uadimonium* non deseruit.

Quo iudicio concluditur primum argumentum?

Dianoëtico duplicis syllogismi: Prior sic se habet:

Si tibi debuisset Quintius, statim petisses. Propositio est ultimo loco, approbata comparatis maioribus: Dissoluti in re familiari & negligentes, appellant suos debitores: multò magis Nauius auarus homo Quintium appellasset, si quid ei debuisset.

Sed nil petijsti. Assumptio secundo loco est, approbata testimonio Quintij, per apostropham, & adiunctis circumstantijs.

Nihil ergo debuit Quintius. Complexio primo loco est.

Huic Syllogismo tres Prolepses subiiciuntur.: potuisset enim Nauius respondere ad assumptionem, quòd nihil petijisset, causam sibi fuisse uel quòd molestus Quintio noluerit esse, uel quòd tempus & locus appellandi non fuerit, uel quòd negligentia aut liberalitas sibi obsiterit. Ad primam prolepsin respondet primò ex comparatis maioribus cum ironia: Quintium nunc interficere cupis: ergo multò magis antea illum

lum appellare, ausus fuisses si tibi debuisset. Sequitur prosopopeia Næuij uerecundantis ironica: cui subiicitur iteratio modo dicti argumenti ex maioribus: & iteratio syllogismi paulò ante positi, sed cum alijs prosyllogismis: hoc modo:

Si tibi debuisset, petisses: Propositio illustratur maioribus & gradatione. Estq; primo loco.

Sed non petijsti. Assumptio amplificatur circumstantijs et repetitione approbationis, quæ antea superioris syllogismi propositioni adhibita fuit. Estq; secundo loco.

Ergo nihil tibi debuit. Complexio postremo loco est, ibi, Dubitatur, &c.

Possunt autem & istæ 3. prolepses syllogismo incluâi, hoc modo.

Aut nihil tibi Quintius debuit: aut quò minus peteres ab ipso, abstiuit tibi uel uerecundia, uel tempus & locus appellandi, uel negligentia uel liberalitas.

Propositio deest

Sed horum nihil tibi obsiuit.

Nihil igitur tibi Quintius debuit.

Qui'nam est secundus syllogismus primi argumenti?

Si Quintius tibi quid deberet: de re, non de sponsione ageres. Propositio deest.

At non agis de re, uerum de sponsione. Illustratur prosopopeia & dissimili: Næuius declinat, ne de re agat: Quintius contra se offert. Estq; ibi apostropha ad Hortensium & Aquilium.

Nihil ergo tibi debuit.

F s Quo-

Quo'nam iudicio concluditur secundum argumentum?

Dianoëtico syllogismi, hoc modo.

Et si Quintius uadimonium deseruisset: non tamen illicò debuisti ire ad extrema iura & inimicissima, cōtra affinem, socium & necessarium.

Sed uadimonium non deseruit.

Non ergo debuisti eius bona postulare.

Propositio huius syllogismi latissimè differtur, & duobus pro syllogismis approbatur.

Qui'nam est prior?

Vbi agitur fama, ad id non ilico & inconsideratè et cauidè eundum est.

In edicto agitur fama.

Non ergo ad id ilico eundum fuit.

Complexio prima est, ibi: ilico' ne ad Prætores, &c. *Vbi* triplex commemoratio est unius sententia. Assumptio secunda est, ibi: Nam quid homini, &c. illustrata minoribus (quæ etiam commemoratione triplici constant) & dissimili, cuius protasis duo dissimilia continet: antapodosis maioribus illustrata est & sententia per epanodon figurata. Cui iteratio assumptionis apertior subijcitur amplificata circumstantijs per distributionem possessionis, libellorum, magistrorum auctoris, præconis, emptorum. Propositio est postrema, ibi: Itaq; maiores, &c. illustrata testimonio.

Qui'nam est alter prosyllogismus?

Viri boni etiam alienorum & inimicorum famæ parcent.

Nenius propinqui, socij, necessarij famæ non pepercit.

Nenius igitur uiri boni officio functus non est.

Propo-

Propositio prima est, ibi: Viri boni cum palam, &c. Assumptio secunda illustrata. 1. circumstantiis personae Quintij. 2. Comparatis maioribus: si de parua re ageretur, aliquem consuluisses: in tam magna re multò magis consulere aliquem debuisti. Apodosis illustratur minoribus. 3. Communicatione, qua testimonia inquiri iudicis & assessorum: quorum responsio per obliquam prosopopoeiam subijcitur. Complexio tertia est illustrata factis Nauij per prosopopoeiam directam.

Habet ne etiam assumptio prosyllogismos suos?

Habet, quibus scilicet probet Quintium non deseruisse uadimonium, ibi: Non dubitavi, &c. Ratio est, quia Quintius nullum uadimonium Nauio praestitit.

Si uadimonium nullum cum Quintio fuit, non potuit id deferere: & mendacium Nauij apparet. Ibi est amplificatio in uerbo per addubitationem.

Nullum autem uadimonium cum Quintio fuit: ibi. Ais uadimonium, &c. Ratio est, quia eo die Quintius Romae non fuit, quo die Nauius uadimonium dicit factum: estq; ibi syllogismus connexus, approbatus testimonijs uarijs ephemeridum & comitum.

Non potuit itaq; id deferere. ibi, Et in hac causa, &c. Complexio constat querela, & illustratur à persona Quintij, qui ita uixit ut fidem et uadimonium non deserat: additur & syllogismus connexus.

Si in pari causa inferior discederet Quintius, esset dolendum:

At in superiore inferior discedit:

Multo igitur magis dolendum.

Huc subijcitur transitio ad secundam partem.

SECUNDA PARS CON-
firmationis.

Ex Edicto possidere non potuit.

Quibus argumentis probatur sec-
cunda pars.

Argumento à testimonio edicti: quia Quintius uerbis edi-
cti non fuit comprehensus.

Quo iudicio concluditur hoc
argumentum?

Enthymematico. Syllogismus integer sic est:

Si Quintius fuisset uerbis edicti comprehensus, tum aut
latuisset, aut solum uertisset, aut in defensum fuisset.
Sed nihil horum.

Non fuit ergo uerbis edicti comprehensus.

In hoc syllogismo, assumptionis duæ primæ partes tenues
sunt: tertia de defenso Quintio prolixa est. Probat enim ad
longum, Quintium ab Alphenio fuisse defensum, effectis Al-
pheni: quia .1. proscriptionis libellos deiecit: 2. uadimonium
pro Quintio promissit: ubi augetur promissio adiunctis Alphe-
ni. 3. Tribunos appellauit: ubi syllogismus disiunctus est:

Aut Quintius defensus est aut cuius procurator ad Tri-
bunos appellauit, is non defensus dicetur:

At hoc probari nemini potest.

Igitur illud probari omnibus necesse est, defensum esse iu-
dicio absentem Quintium.

4. Quintium defendit, id probat alij factis Alpheni per
distributionem. His subijcitur prolepsis, quod Næuius cum Al-
pheno

pheno pari concertatione non fuerit: quæ soluitur duplici comparatione, primò parium, quæ Næuius Alpheno par fit: deinde minorum, quæ Quintius Næuius iniquioris conditionis fit: ubi dialogismus quoq; est. Tandem pro syllogismus tertij membri assumptionis breuiter repetitur per enunciatum disjunctum.

TERTIA PARS CONFIRMATIONIS.

Non possedit.

Quibus argumentis probatur
tertia pars

Quinque: 1. quia bona non uendidit. 2. quia ceteri creditores non conuenerunt. 3. à testimonio ipsius Næuij. 4. à celeritate nunciij. 5. à testimonio edicti.

Quo iudicio concluduntur hæc
argumenta:

Pluraq; concluduntur iudicio axiomatiko. Secundum amplificatur comparatione extraneorum cum affine Næuius: & digressionem in testes Næuij. Tertium syllogismi iudicio tractatur, ibi, Quid si tu ipse, &c.

Si Næuius ipse testis est bona Quintij à se non esse pos-
sessa, id uerum est.

Sed ipse testis est huic rei: Quintium enim socium sibi
emptionis adhibuit.

Id ergo uerum est.

Quartum etiam syllogismi iudicio concluditur: sed priusquam id concludat longam digressionem & narrationem instituit, quomodo à Roscio ad hanc causam agendam inductus sit:

sit: ibi, Diffidebam, &c. estq; ibidem prosopopœia obliqua & directa. Deinde est apostropha ad iudicem & assessores ad attentionem huius iudicii syllogistici. Tandem iudicium ipsum syllogismi disiuncti sequitur, quo probat non potuisse tantum spacium confici tam breui tempore, quo Næuius postulauit bonorum possessionem & in eandem seruos misit:

Aut enim triduo D C C. M. nuncius confecit: aut à Næuius missus est antequam postularet:

Sed illud impossibile.

Hoc ergo necesse.

Antecedens propositionis est ibi, Quo die: te ipsum uolo; &c. & amplificatur celeritas exclamatione & comparatione eloquentiæ cum ueritate per apostropham. Consequens est ibi, An antequam postulasti, &c. cui subiicitur optio eligendi alterum. Assumptio est ibi, D C C. M. passuum, &c. approbata testimonio aduersarij. Complexio est ibi, Ante igitur misisti: & illustratur amplificatiōe istius festinationis & dialogismo. Quintum argumentum est quod contra edictum Næuius Quintium in Gallia de possessione deiecerit, quo edicto cauetur, Ne dominus inuitus detrudatur: ibi, Atq; hæc perinde loquor, &c. Concluditur autem syllogistico iudicio.

Si Næuius aliter possedit, quàm Prator edixit, ex edicto non possedit.

Sed illud: quia Næuius Quintium inuitum detruxit, cōtra uerba edicti: ibi est testimonium edicti.

Ergo & hoc.

Sextum argumentum deinde subiectum, hodie deest: ad id tamen transit per apophasin, Mitto illud dicere, &c.

DE PERORATIONE.

Quot

Quot sunt partes Perorationis?

Due. Enumeratio & Amplificatio.

Quid agit in Enumeratione?

Tres partes Confirmationis cum suis argumentis repetit.

I. Non fuit causa cur postularet, quia nihil petijt à Quintio, quia non de re, sed de sponsione agit, quia non statim ad extrema iura ire debuit, quia uadimonium non deseruit. II. Ex edicto possidere non potuit: quia Quintius non latitauit, non exilij causa solum uerit, non fuit indefensus. III. Non possedit: quia bona non uēdidit, quia creditores reliqui non affuerunt, quia ipse Næuius huius rei testis, quia celeritas incredibilis est deniq; quia non omnia bona possedit: ut domū Romæ, seruos, prædia, priuata, &c.

Quid agit in Amplificatione?

Obsecrat iudicem & assessores, ut Quintium contra Næuium defendant. Iudicium totum est enthymematicum.

Quintius causam bonam habet & uir bonus est & calamitosus & ab omnibus relictus. Antecedens comparatis illustratur & circumstantijs.

Debet igitur à iudice defendi.

Atq; hæc hucus Analysis: sequitur Genesis atq; imitatio.

Quomodo imitabor per Genesin hanc orationem?

Primò sumes quæstionē aliquē similē: Sicut ergo hæc oratio ex contractu societatis orta est: ita sub eodē genere cōtractuū, plures species sunt, mutuū, depositū, emptio, nuptiæ, donatio, mādātū, &c. ad quas eadē imitatio transferri potest. Exemplū nos sumamus de filio exheredato. Filius cōqueritur testamento patris se exhereditatum: quæstio sit an exheres esse debeat:

tota causa diuidatur in tres propositiones. *I.* Quod pater nullam causam habuerit cur exheredaret. *II.* Quod non potuerit exheredare propter beneficia à filio accepta. *III.* Quod non exheredarit: quia testamentum non proferatur aut non ritè confectum sit. His sic constitutis, si deinde per singulas propositiones eundem ordinem, eadem argumenta, eandemq; dispositionem enthymematicum & syllogismorum cum Cicerone seruabimus, constabit sibi Genesis & imitatio: ipsæ quoq; figuræ & ornamenta ultrò & sua sponte imitatori succedēt. Aliud exemplū. Adolescens quidam in tutorū potestate constitutus, donauit sodali pecuniam, eam postea iussus à tutorē repetit à donatario, ille prætendit ius donationis: res uenit in controuersiam. Ibi pro donatore orator propositiones tres faciet. *I.* Non fuit causa cur donaret, quia nulla noticia cum donatario adolescenti fuit, nec liberalitatem exercere uoluit, cum non intelligat quid sit liberalitas. *II.* Non potuit donare, quia rem suam non potest deteriorem facere: qui autem donat, non fit locupletior. *III.* Omnino non donauit, quia id donatarius probare non potest. Atq; hæc de *Analysi* & *Generi Logica* Super est ut dicamus de *Analysi Ethica* & *Politica* seu *Iuridica*.

Quænam est *Analys*is *Ethica*?

Primò, in *Næuio* exemplum habemus auari hominis & *πλεονεξιστοῦ*: qui usq; eò feruet ferturq; auaritia, ut de suis commodis nolit aliquam partem amittere. Item incontinentis, qui cum ius amicitia, societatis, affinitatis ageretur, tam cupidè egit ut ne quidem se consuleret, aut ad se referret, ut respiceret cupiditas atq; auaritia paululum: atq; ut aliquid loci rationi aut consilio daret, & se colligeret, nec in eam turpitudinem ueniret, ut consilium caperet hominis propinqui sumditus

ditus evertendi. Huc pertinet uetus illud de scurra, multò facilius diuitem quàm patremfam. fieri posse: & illa dubitatio Ciceronis, quo nomine appellet Næuium: improbum ne an malitiosum, fraudulentum, audacem, cupidum, perfidiosum. Et in epilogo planè Ethicè cum depingit: quòd ad uoluntatem loqui possit, quòd ab afflictà amicitia transfugere, atque ad florètem aliam deuolare, quòd profusis sumptibus uiuere, quòd ornare magnificè, splendideq; conuiuium, &c. Das ist ein rechter hoffman.

II. In Quintio exemplum boni uiri est, qui uixit semper inculcè atq; horridè natura tristi ac recondita fuit: no ad solarium, non in campo, non in conuiujs uersatus est: id egit, ut amicos obseruantia, rem parsimonia retineret: antiquam officij rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit.

III. In Cicerone exemplum est iusti hominis, qui eum cui iniuria infertur, defendit: & diligentis, qui quò minus ingenio potest, subsidio sibi diligentiam comparat, & cum Roscio de controuersia confert. Est etiam candidi hominis exemplum quia Hortensium amulum ubiq; magnificè extollit.

Accedunt & alij loci. I. De bono uiro. Boni enim uiri cum palàm fraudantur, pedetentim tamen & timide ad extrema iura descendunt, & hominum existimationis & communis humanitatis causa: ut cum ipsi nihil alteri scientes incommo-
darint, nihil ipsis incommodi iure cadere possit. Boni uiri etià est sepe cogitare QUID AGO. Si me hercle, inquit Cicerone hac tecum duo uerba fecisses, QUID AGO, respirasset cupiditas & auaritia paululum: aliquid loci rationis & còsilio dedisses, tu te collegisses, nò in eam turpitudinem uenisses. Boni uiri quoq; est, ut qui imitatur orationem bonorù eorù fama quoq; imitetur.

II. De Auaritia. Nullum officium tam sanctum atq; solenne est, quod non auaritia comminuere atq; uiolare soleat.

III. De fide & perfidia. Nam si ueritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicū, socium, affinem, famam ac fortunam spoliare conatur, uanum se & perfidiosum impium esse fateatur.

IIII. De nobilitate. Nobiles quò plus propter uirtutem, nobilitatemq; possunt, eò minus quantū possint, debent ostendere. Sæpè enim sine iniuria potentiam leuem atq; inopem esse arbitrantur. Item. Homines nobiles seu rectè seu perperam facere caperunt, ita in uiroq; excellunt, ut nemo ignobilis assequi possit.

V. De honesta fama. Dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. Mors honesta sæpe uitā quæque turpem exornat: Vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit.

VI. De humanitate. Si non hominis, at humanitatis ratio nem habeamus.

Quæ nam est Analysis rerum, quæ ad Politicam seu Iurisprudentiam pertinent?

Primò in Genere notanda est uetus & usitata consuetudo iudiciorum: quæ comprehensa est breuissimè in secunda parte confirmationis, his uerbis: Debere tibi dicis, negat: uadari uis: promittit: in ius uocas, sequitur: iudicium postulas nō recusat. Hic enim actus iudiciorum sunt propositi, Vadimonium, In ius Vocatio, Postulatio De quibus & alijs ut de sponsonibus, satisfactionibus, &c. uide Budæum in Pandectas.

II. In specie consid. 1. Iudex, qui præsidio esse debet solitudini & inopiæ cōtra uim & gratiam: qui non ex opibus, sed ex ueri-

ex ueritate causas pendere: qui sanctus & uerus esse: & humilibus in eius grauitate & uirtute consolatio debet esse: apud eū ueritas ualere debet. Eius assessores uiri electissimi ciuitatis sint, ut ueritas æquitate talium uirorum recreetur.

2. Litigatores: qui sæpius cogitant quid possit is in cuius ditione & potestate sunt, quam quid debeat facere.

3. Procuratoris officium in Alpheno eleganter describitur in secunda parte confirmationis. Defendit enim absentem dominum seu principalem, libellos proscriptionis deiiciendo, seruos retinendo, iudicium suscipiendo, tribunos appellando, coram testibus ad hoc uocatis protestando, de iudicio sisti promittendo: quæ usitata consuetudo iudiciorum à Cicerone dicitur, cui contrariam rationem iudicium singulare uocat.

4. Transactio. Nam boni uiri est uidere, ut quam primum & quàm minima cum molestia res transagatur.

5. Hereditas. Testamento hæredem relinquit fratrem, ut ad quem summus meror morte sua ueniebat, ad eundem summus honos quoque perueniret.

6. De iudicio famoso. Nam in quo iudicio agitur fama, ad id non ilico eundum est, & prius de re iudicium fieri debet quàm de probro.

7. De auctione seu subhastatione: Libelli. n. in celeberrimis locis proponuntur, magistri auctionis constituuntur. præco prædicat & precium conficit bonorum emptores conueniunt.

8. De Testimonijs. Tuum testimonium quod in aliena re loue esset: in tua, quoniam contra te est, grauisimum debet esse.

Τὸ θεῶν χάρις.

101

1. The first thing I noticed when I stepped out of the car was the cold. It was a sharp contrast to the warm blanket I had been sitting under. I looked up at the sky, which was a pale, hazy blue. The air was crisp and clean, a welcome change from the stuffy atmosphere of the car.

2. I walked towards the entrance of the building, my footsteps echoing on the wet pavement. The rain had just stopped, leaving the ground glistening with water. The building was a large, imposing structure with many windows, some of which were already lit up.

3. As I approached the entrance, I saw a group of people standing outside. They were dressed in formal attire, and their expressions were serious. I felt a bit out of place among them, but I didn't have time to dwell on it. I was here for a reason, and I had to make the most of it.

4. The entrance was a grand affair, with a large set of stairs leading up to a glass door. I hesitated for a moment, looking back over my shoulder. The car was still there, parked in the distance. I took a deep breath and pushed open the door.

5. Inside, the atmosphere was even more formal. The room was large and well-lit, with high ceilings and ornate decorations. I saw several people standing around a large table, engaged in conversation. I walked towards them, feeling a bit nervous but determined.

6. The man at the head of the table looked up at me as I approached. He was a middle-aged man with dark hair, wearing a suit and tie. He smiled at me, and I felt a bit more at ease. He introduced me to the others, and we began to talk.

7. The conversation was pleasant, and I found out that the man at the head of the table was a friend of my father's. He had been invited to the event, and he was happy to see me. We talked for a while, and then he excused himself to go to the restroom.

8. I stayed at the table for a few more minutes, but I didn't feel like staying. I looked at my watch and saw that it was getting late. I decided to leave and go home.

9. I walked back towards the entrance, and I saw the man at the head of the table standing there. He was looking at me, and I felt a bit awkward. I walked past him without saying a word, and I got back into the car.

10. I sat in the car for a moment, looking out at the city. The lights of the buildings were reflecting on the wet pavement, and the air was still cold. I felt a bit tired, but I was also a bit happy. I had made it through the event, and I was home.